

[25:] Quae sunt officia liberorum erga parentes et subditorum
erga magistratus?

Syracides capite tertio inquit: „Honora parentes sermone, opere et patientia.“⁴⁵ Primum vult liberos agnoscere ordinem diuinum et reuerenter sentire et loqui de parentibus. Deinde veram cordis subiectionem requirit, quae in externis officijs praestet obedientiam sine contumacia. Postremo postulat ἐπιείκειον seu aequitatem in tolerandis parentum infirmitatibus.

Eadem debent subditi et magistratibus, primum, vt agnoscant ordinem politicum esse opus Dei et sciant magistratus maximorum bonorum custodes esse in genere humano et personas diligendas esse propter Deum. Deinde, vt praestent obedientiam legibus magistratum et non solum precentur pro gubernatoribus, sed etiam stipendia debita non grauatum persoluant. Postremo, vt tolerent quasdam infirmitates gubernatorum, quia nulla est tam felix gubernatio, in qua non multa errata accident. 10

Quae sunt officia coniugum inter sese?

[26:] Primum est amor mutuus, alterum est fides coniugalis, tertium est societas bonorum et aerumnarum, quartum est defensio, quam maritus debet vxori. 15

Quid a singulis hominibus praestari debet in vocatione?

Cum Deus neminem velit ignauo ocio torpere et singulos in certam vocationem collocet, necessaria est virtus omnibus sedulitas, de qua Paulus inquit: „Hoc requiritur in ministro, vt sit fidelis“,⁴⁶ hoc est singuli homines constanter et firmiter debent propter Deum 20 et communem salutem facere labores vocationi propriae conuenientes.

⁴⁵ Sir 3,9.

⁴⁶ I Kor 4,2.